

Xystum vehementer in hanc expeditionem propensum intelligeret, per suum oratorem atque alios amicos sibi Cardinales perfecit, ut ejus rei conficiendæ omnem spem abjiceret; nunquam se civitati, quæ sub ejus auspiciis conquiesceret, vim inferri passurum; ex eo majores quoque tumultus in Gallia, cunctis Helvetiis ad Genevensibus opem ferendam accurrentibus, suborituros; in Sabaudiæ ditiones, atque adeo in Italiam ipsam pervasuros. Abjecta itaque ea consilia penitus fuere.

Hoc autem anno variis successibus, qui ad rerum summam non conferrent, in Gallia, variante fortuna, expugnationibus, minutis præliis, oppidorum occupationibus laboratum; neque minus varius atque inconstans Regis animus, nunc severissimus in Ugonottas edictis magnam constantiam immotamque sententiam, quæ superiori anno decreta fuerant, exequendi præseferre; modo eorum, quæ ad bellum necessaria erant, curas remittere; nonnunquam haud obscuris argumentis proclinatum ad honestas pacis conditiones animum significare; a quibus Regina mater minime aliena, cum Navarræ Rege colloquio inito, quantumvis admiteretur, tamen non nisi paucorum dierum inducias pepigerat. Principes quoque Germani, quos *Protestantes* vocant, ut aliqua concordiæ ratio iniretur, enitebantur; atque ob id Joannes Casimirus Palatinus, Saxoniæ Dux, Brandenburgensis Marchio, atque alii Principes, Argentoratum quoque, Ulma, Norimberga, ac Francfordia liberæ civitates, legationibus ad Henricum missis, hortabantur: *Pacem regno restitueret*, neque armis ageret. Quid ex iis, nisi subjectorum, quorum nondum præteritæ cicatrices coalitæ fuerant, excidium expectari posse? mirari commoda ex postremo pacis edito, regia fide obsignato, expertum, modo voluntatem immutasse, privatisque aliorum studiis ductum, singulari Reginæ matris prudentia, Cardinalis Borbonii insignium procerum consensu, pro publica tranquillitate, velle decreta evertere: multo minus se inspicere, cur, qui clandestina consilia, militum delectus, & qui libertatis ac religionis obtentu, se vivente, de successore deligendo egerant, detestatus, regiis edictis absque ullo discriminine omnes sibi subiectos complexum affirmaverat, modo superioribus contraria pronunciaret; classicum caneret; bellum civile atque internum

Inducias in  
ter Gallia  
& Navar-  
ra Reges.  
Germanoru  
Principum  
ad Henricum Re  
gem legatio  
& eorum  
officium.